



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Augustinus Europaeus  
Perperam Dictus**

**Wavre, Philippus van**

**Antverpiae, 1709**

Caput I. Aperiuntur fontes secundæ Jansenianæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39351**

## CAPUT PRIMUM.

*In quo aperiuntur fontes Ianseniani, è quibus deducta est famosa illa secunda: Interiori Gratia in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.*

## SECTIO PRIMA.

*Solam internam medicinalem gratiam Christi agnoscit Iansenius, eam cui non resistitur. l. 2. de Grat. Christi Salv. c. 24. Titulus capitis est: Natura Gratia medicinalis generatim demonstratur ex octo proprietatibus ac notis, quibus ab Augustino passim describi solet.*

*Ians l. 2. de Grat. Christi. cap. 24. pag. 196.*

**D**E naturâ huiusce gratiæ præfatur ab Augustino ita delineatam, non sicut eam Recentiores depingunt, quasi dominatrici famuletur voluntati; sed prorsus talem, quæ simul ac pulsat fores, rumpit ostia, repugnantemque domat voluntatem, tollit omnem ejus resistantiam, rapit eam secum, & ex invitâ volentem, ac se determinantem ineffabili suavitate ac potestate facit. Et postea per octo proprietates ex Augustino depromptas id stabilire contendit.

*pag. 197.*

Primò ex illis locis, quibus eam summa efficacia esse docet in eo persuadendo efficiendoque quod Deus homini persuasum, & in eo effectum cupit. Quod

*pag. 196.*

R 5

pro-

## 266 LIBER TERTIUS

S Aug. de  
 grat. & lib.  
 arb. cap. 5.  
 cap. 16.  
 cap. 5.  
 cap. 14.  
 pag. 197.

probat quia Augustinus appellat EFFICACISSI-  
 MA VOCATIONEM PAULI. Et quod Deus faciat  
 per illam UT FACIAMUS, PRÆBENDO VIRES EFFI-  
 CACISSIMAS VOLUNTATI: Quod Deus per illam  
 operetur, potentissimâ medicinae suae potestate. De  
 Corrupt. & grat. quod vocet in super per omni  
 potentissimam potestatem. Ibid.

pag. 198.

Secundò, hanc efficacissimam, potentissimamque,  
 hanc ineffabilem & omnipotentissimam potestatem  
 in eo exseri super voluntatem docet, quod ita à Dei  
 Spiritu per gratiam rapiatur, ut ipsamet voluntas  
 vix agere intelligatur.

Tertiò, . . . Non esse istius naturae Medicina-  
 lem Christi gratiam, ut ejus effectus à voluntate  
 suspendatur, sed illius, ut per eam effectum poten-  
 tissimè invehat inseratque voluntati, non operando  
 si voluntas velit, sed operando atque determinando  
 ut velit.

pag. 199.

Quartò, quod omnes operationes hominis bonas  
 quantumcumque fiant à liberâ voluntate, tribue-  
 re soleat Augustinus Deo ipsi tanquam qui per vo-  
 luntatem ut per instrumentum, quod pro libero suo  
 beneplacito agit, impellit, flectit, vertit quolibet,  
 motus ipsius voluntatis operetur.

pag. 200.

Quintò . . . Quod Augustinus non raro gratiam  
 Christi Medicinalem victricem vocat, quia omnes  
 oppositos obices voluntatum & affectuum invictâ  
 potestate perrumpit.

Ibid.

Sextò, Gratiam Dei Augustinus ita victricem  
 statuit supra voluntatis arbitrium, ut non modò di-  
 cat hominem operanti Deo per gratiam non posse  
 resistere.

pag. 201.

Septimò dicit aberrasse ab Augustini doctri-  
 na qui talem gratiam procederunt, quae semper  
 explorat expectatque voluntatem, ne si forcè  
 pervicacior fuerit, cassa & inanis gratia, & effe-  
 ctus divinae misericordiae irritus humanâ potestate  
 reddatur.

Octa-

DE PROPOSITIONE I. 267

Octavo, *Proprie dicta Christi gratia, quam per passionem suam adversus infirmitatem voluntatis attulit illa est, ut copiosissime demonstravimus, quae non operatur effectum suum si velimus, sed quae operatur in nobis velle & operari.* pag. 203.

Si ista sit natura Medicinalis Christi gratiae è notis & proprietatibus suis delineata, ut tollat omnem resistantiam, summa sit efficacia, vires praebet efficacissimas, sit efficacissima, potentissima & omnipotentissima super voluntatem, effectum potentissime inferat inferatque voluntati: Sit victrix quae omnes oppositos obices voluntatum & affectuum invicta potestate perumpit: Si denique talis, ut effectus ejus irritus humana potestate non reddatur; nonne luculentissime demonstratur, quod interiori gratiae numquam resistatur, juxta Jansenium & quodque si resistatur Christi gratia esse desinat? Nam si talem agnosceret, divideret eam in efficacem seu quae dat velle perfectum & largitur effectum, & in invalidam quae tribuit velle imperfectum, & ideo aliquando ad effectum non peringat. Jam verò cum omnem ponat definitque victricem atque potentissimam, confectarium est, quod nulla vincatur, nulla cujus effectus operis impediatur, nulla cui resistatur.

S E C T I O II.

*Secunda Propositio etiam elicitur ex capite sequenti sive 25, ejusdem libri 2. & ex cap. 27.*

**J**ansenius hoc caput praecedenti nectit, & ex argumentis praemissis evictum cupit nullam Medicinalem Christi gratiam effectum suo carere.  
Hac

## 268 LIBER TERTIUS

pag. 202.

Hac itaque est vera ratio & radix, inquit, cur nulla omnino Medicinalis Christi gratia effectu suo careat, sed omnino efficiat, ut voluntas velit, & aliquid operetur: Non dicit tantum velit, sed etiam operetur. Pergit autem id probare.

Ibid.

Primò hoc probat: Quod apud Augustinum gratia & opus bonum ita reciprocentur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis consecutum inferre solet, ita vice versâ, ex defectu operis gratiam non esse datam. Quo ratiocinandi modo indicatur gratiam tamquam causam, & operationem voluntatis bonam velut effectum esse, ut Philosophi loquuntur, CONVERTIBILES, & à se mutuo INSEPARABILES. Post varia Augustini Testimonia in hanc rem adducta, concludit: ,, His igitur & huiusmodi locutionibus affirmativis, sicut significat Augustinus, hoc ipso quo data est homini gratia, mox effectum sequi, sic è contrario negativè subinde ratiocinando hoc ipso quo effectu homo destituitur, nullam ei gratiam collatam esse, sed solo Pelagianæ gratiæ adjutorio, hoc est, lege doctrinâque ad operationis præcepta justitiam niti.

pag. 205.

Secundò . . . tradit Augustinus iterum atque iterum studiofissimèque commendat illam gratiam, quæ non est gratia aut lex . . . opus ipsum afferre voluntati.

pag. 206.

Tertiò . . . illam solam gratiam prædicasse Augustinum, quæ dat simul effectum suum, ut homo velit aut faciat. Ubi satis indicat gratiam pro ea parte quâ effecti destituitur, prout contingit imperfectæ bonæ voluntati, non esse gratiam quam prædicat Augustinus, neque Medicinalem eam Christus suâ passionè promeruit: Ipse Augustinus disertis verbis docet, ait, illam gratiam esse consistendam, quâ Deus ipsam credendi voluntatem effectumque boni operis largiatur.

Po-

DE PROPOSITIONE II. 169

Postea ex eò quod Augustinus gratiam Christi nomine *Incrementi* Plerumque appellat, infert Jansenius, *nihil mirum si Augustinus universim doceat Medicinalem Christi gratiam semper effectum suum inferre voluntati, cui eam Deus sua benignitate largitur.* pag. 207.

Quod autem illam gratiam quæ imperfectam tribuit adimplendi præcepti voluntatem, quatenus ad effectum quem optat non pertingit, adeòque prout ei resistitur, medicinalis gratiæ nomine dedignetur, liquet ex capite vigesimo septimo ubi sic loquitur. *Qui ergo scit Deum super omnia diligendum spe ac fide colendum & similia, & nondum ita diligit, sperat & credit, ut lex jubet, nondum illa ipsa quidem didicit secundum gratiam, sed tantummodo secundum legem: Quamvis interim aliud quidpiam, quod prævium esse solet, ut verbi gratia; quod in Deo vel charitate ac fide ipsius sibi quodammodo placeat illosque actus quâdam velleitate desideret, & similia secundum gratiam potuerit didicisse.* cap. 27. pag. 210. & seq.

Similiter differit de illis qui vehementer operant continentiam, etsi necdum continere possint. Concludit tamen de utrisque: *Itaque optimè subjungit Augustinus: hoc modo (per gratiam) quisquis discit; agit omninò, QUIDQUID AGENDUM DIDICERIT. Nempè quia quidquid nondum agit, id nondum agendum didicit secundum gratiam, sed tantummodo secundum legem.* pag. 211.

Et ad objectionem quâ dicitur hæc omnia, quæ produximus, eum (Augustinum) de gratiâ tantum efficaci tradidisse, nihil verò impedire, quin aliæ nonnulla gratiæ per hominis voluntatem effectui careant,

Respondet: *Nihil verius dici posse . . . cujus rei ibid. causa est, quod nullam agnovit aliam actualem Christi gratiam, nec agnoscere potuerit, nisi regulas*

las fundamentales, quibus innoxius naturam gratia medicinalis tradidit & explicuit, vellet interimere.

pag. 112.

Post argumenta in hanc rem allata, rursus subdit: Quapropter quisquis jam alia divina Gratia adjutoria infirmis hominibus afferre nititur, qua deserant si velint, & in quibus permaneant si velint, cum quibus tanquam sufficientibus operentur si velint, nihil aliud imprudens facit, nisi peccati originalis virus evacuet, illasas liberi arbitrii vires esse, Christum frustra venisse & gratis mortuum esse persuadeat.

Et quamquam Molinianam sufficientem capitalius infectetur Jansenius, Thomistico-sufficientem sufficienter eludere voluisse non unò ex capite demonstrat; tum quia effectum operis indissolutum & inseparabilem facit; tum quia hic illam gratiam rejicit ut spuriam, quam homines deserant si velint; tum quia illam Augustinum, licet admitteret, equidem Christianæ gratiæ accensendam pernegaret ut tradit libro 3. cap. 1.

pag. 113.

Tandem ad potentissimam Christi gratiam velut unicum bonæ voluntatis frameam redit. Quamobrem quicumque animadvertit omnia, quæ de adjutorio Medicinalis gratiæ ex Augustino diximus, de gratiâ quâdam potentissimâ, quam efficacem Recentiores suo sensu vocant, esse intelligenda, consequenter hoc etiam animadvertere debet, Non aliam Christi gratiam Medicinalem in scriptis ejus reperiri. Bene ergò habet. Non aliam Augustinus Christi gratiam in scriptis suis reperiendam dedit præter potentissimam; sed potentissimæ numquam resistitur; igitur non aliam Augustinus interiorem gratiam admisisse Jansenio visus est, præter eam, cui numquam resistitur. Audet hoc addere: Proinde fatendum sibi esse, quod aliam nobis procudendo (utique præter potentissimam) novum gratiæ genus Christianis afferat,

ibid.

DE PROPOSITIONE II. 271

ferat, quod nec Augustinus, nec ullus Latinorum Patrum, qui de gratiæ adjutorio cum Pelagianis ex professo decertarunt, nec Ecclesia in Conciliis Generalibus vel Provincialibus ab Apostolica sede probatis agnovit unquam, nec agnoscere potuit, nisi Principia, quibus ipsa per Antiquos Patres Medicinalem Christi gratiam defendit, funditus evertantur.

Igitur, ut collubitum est Jansenio, extrà potentissimæ gratiæ genus aliud comminisci, est Principia Medicinalis Gratiae Christi funditus evertere. At potiori jure dicamus, ad potentissimam illam gratiam medici superni beneficium coarctare, est Munificentissimam Apothecam magna ex parte evacuare. Quasi volentes conantesque homines justis & in certamine deficientes medicam non sentiant manum, quia potentissimam, quæ obices omnes voluntatis & affectuum pertrumpat, gratiam non sunt consecuti. Aut quasi vel pugnare queat in Agone Christiano non adjutus, non munitus gratiâ Christi. Quasi Petrus gratiam non habuerit, quia invalidam, quia non invictam, non victricem, non efficacissimam, non potentissimam. Hi tamen liquidissimè fluunt ex illo Janseniano fonte rivuli, fonte illo: *Non aliam* (præter potentissimam) *Christi gratiam Medicinalem in scriptis* (Augustini) *reperiri, nec aliam posse agnosci.*



S.E.C.



## S E C T I O I I I .

*Propositionem secundam produunt ea loca libri litigiosi Iansenij , quibus non modò Molinianam , sed & Thomistico sufficientem gratiam insectatur .*

**Q**UAMQUAM Jansenius , præter efficacissimam potentissimamque gratiam , quæ obicem omnem voluntatis perumpit , obstacula remouet , effectumque suò potitur invictissimâ potestate , admittat inferioris notæ gratiam , putâ velleitatem , boni complacentiam divinitus infusam , à cuius inclinatione & suasionem homines sæpè dissentiant ; quamquam & desideria & vota consentiat *divina gratia* munera esse , & *majoris gratia provocativa* , ut loquitur lib. 2. cap. 27. ; Negat equidem hanc gratiam esse sufficientem , negat esse medicinalem Christi gratiam quia efficax non est ad utrumque effectum nempe *velle & operari* . Ideòque qui eâ donatur , nondum didicisse secundum gratiam , sed secundum legem , ratus utique *velleitates* illas & vota ad posteriores effectus non plus valere quam ipsam legem . *Non enim quævis gratia* , inquit , *ad quosvis effectus inserendos sufficit* , ut quidam imaginati sunt , sed potestates operationum difficultati attemperandæ sunt . De illis ergò qui non habent talem potestatem , licet habeant bonam voluntatem , intelligendum censet illud S. Augustini , de quo alibi diximus , *Qui novit quid est quod fieri debeat , & non facit , nondum à Deo didicit secundum gratiam sed secundum legem . Non secundum spiritum , sed secundum litteram :*  
Quod

pag. 211.

pag. 210.

Aug. de Gr.  
Christ. c. 13.

DE PROPOSITIONE II. 273

Quod postea repetit, & subjungit: Nempe quia quidquid nondum agit, id nondum agendum didicit secundum gratiam, sed secundum legem.

Confirmat id pluribus locis, signanter ubi L. 10. de Gr. gratiam sufficientem tangit: extra hanc gratiam Chr. c. 7. Christi, quæ per Charitatem & per ineffabilem pag. 1035. suavitatem, cum quâ illabitur, semper congrua est, nullam novit Augustinus quam velut incongruam sed sufficientem reprobatis destinet; nisi forte homines per litteram legis ad agendum instructos adjutosque esse statuamus. Quidquid enim sufficientis gratia vel à Neotericis, vel à Pelagianis, vel Massiliensibus, præter istam agendi gratiam excogitatum est, hoc totum Augustino ad legem pertinet, nec extra limites gratia pelagiana constitui debet. De gratia vero Christi, præmittit: Omnis congrua est, omnis operatur ac perficit effectum suum. Omnis enim delectat voluntatem, & omnis hoc ipso ad operandum effectum illum, ad quem datur, trahit. Ibid.

Et alibi: Cujus rei si quis radicem scire velit, meminisse debet, nullam gratiam actualem ab Augustino pro verâ illâ Christi gratiâ agnosci, quam tamquam Medicus infirmæ voluntati attulit, nisi quæ agit & peragit effectum: Omnis alia qualiscumque fuerit, ab ipso ad legem doctrinamque relegatur. L. 2. c. 32. pag. 235.

Ac Proinde omnis dans posse etiam sensu Thomisticò sufficiens, quâ talis, & quatenus non agit & peragit effectum suum, ab Augustino ad legem doctrinamque relegatur juxta Jansenium.

Probat quidem congruam omnem Christi gratiam, quia omnis omnino efficit, ut voluntas sive tenuiter, sive fortiter velit. Et effectum ejus adæquatum duplicem, videlicet voluntatem seu volitionem infirmam ac fortem ex Augustino stabilit; sed equidem ex ea parte quatenus difficultati operis adaptata non est, insufficientem esse docet cap. 27. Ibid.

Quàpropter hilce innixus Principiis asserit gratiam sufficientem, nempe Thomisticò sensu, & quæ effectum habet nempe inchoatæ bonæ voluntatis, ab Augustino Christianæ gratiæ gloriâ & nomine neutiquam insigniendam. Postquam enim Jansenius *sufficientem illam gratiam*, (quam Molinianam habebat) ab Augustino destructam eversamque funditus pronuntiaverat, ad aliam sufficientem gradum faciens, subjungit: *Quod si verò sic accipiatur, ut sufficiens dicatur, sicut à quibusdam dicitur, quod satis est, ut homo dicatur posse operari, quamvis aliud adhuc necessarium sit, ut de factò operetur, de hujusmodi sufficienti gratia, non est hic nostra controversia. Talem enim sufficientem fortasse non difficulter S. Augustinus admitteret, quamvis esse veram illam Christi gratiam, de quâ questio est, pernegaret.*

L. 3. de Grat.  
Chr. Sal. c. 1.  
pag. 249.

Et cur Augustinus illam gratiam Christi gratiam pernegaret? Nisi quia effectu ad quem sufficiens dicitur, destituitur? Non admitteret ergò Augustinus gratiam quæ dat velle; sed perfectum velle & operari; nec admittit consequenter ipse Jansenius, qui non aliud se docere fatetur, quam quod Augustinus. At magis stupeo quod gratiam illam sufficientem admissurum dicat; & addat *fortasse*. Vel enim sufficiens ista gratia spectatur in substantiâ suâ, prout habet pro effectu bonam voluntatem licet tenuem, & tunc non videtur dubium quin eam admitteret Augustinus, nec eam repudiat ipse Jansenius quia ex eâ parte efficax est. Vel eam considerat prout respicit effectum, ad quem sufficiens sit dumtaxat, & nondum efficax, & tum Jansenius omnia machinamenta sua subruit, quibus ostendere nititur discrimen gratiæ utriusque status intercidere, si detur modò gratia dans posse perseverare tantum, non verò ipsum perseverare.

Et

DE PROPOSITIONE II. 275

Et ideo forte addidit *fortasse*. Sed reponitur: Ergo non sunt jam certo Augustiniana illa Principia, juxta quæ conclusum voluit invictissime, omnem gratiam naturæ lapsæ perficere suum effectum, ad quem datur &c. Nam Augustinus *Fortasse admitteret gratiam illam non difficulter, quæ satis est ut homo dicatur posse operari.*

Sed cur eam Christi gratiam Augustinus pernegaret, quæ effectum suum non inferret? Respondet Jansenius: Nam gratia Medicinalis Christi proprium est efficere, ut aliam quancumque gratiam, sive habitalem sive sufficientem utiliter habeamus; quomodo nisi habeatur, semper noxia est, quia ad hoc conducit, ut damnabilius delinquamus. Tunc autem est utile velle cum possumus, & tunc utile est posse cum volumus. Nam quid prodest si quod non possumus volumus, aut si quod possumus, nolumus?

L. 3. c. 2.  
pag. 257.

L. de Grat.  
& lib. arb.  
cap. 15.

Hæc quidem Molinianis Jansenius impingit, sed nescius quò consecutionis torrente abripitur. Nam argumentum cum proportionem contra gratiam Thomisticè-sufficientem procedit dum ita discurret: *Quid homini misero perniciosius, quam illà gratiâ abundare, quâ nemo unquam fatentibus etiam Scholasticis nisi majorem damnationem affectus est? Hoc ipso quippe unusquisque damnabilior est, quo magis sufficienti gratiâ abundavit. Nemo enim unquam sufficienti gratiâ usus est, aut vitatur, aut utetur in æternum: Qui mitius profecto puniretur, si tali auxilio caruisset, quo Deus neminem vel damnandorum vel Salvandorum usurum esse præscivit. Quâ in re non jam effusa Dei bonitas, ad quam deprædicandum istud adjutorium non satis discretè excogitatum est, sed summa potius severitas ejus apparet.*

Jans. ibid.

Alia Jansenii effata transilio, veluti cum dicit: *sufficientia adjutoria nulla omnino post lapsum sunt.* Ipsum velle dando etiam posse largitur. Ponit

L. 10 c 20.  
pag. 1013.

## 276 LIBER TERTIUS

L.7.c.3. actum in potestate voluntatis. Facit velle & operari. Posse non præcedit, sed sequitur voluntatem; nulla voluntatis pervicaciâ frustratur &c.

## SECTIO IV.

*Jansenius ex propria confessione, imò & Vincentij Paleologi convincitur Gratia Thomisticè sufficientis esse pernegator.*

p43.1071.

Fol. 61.

**I**llustrissimus ille Iprensium Antistes in famosi voluminis sui Epilogo profitetur se profundissimi Doctoris (Augustini) doctrinam ita assequi studuisse, ut non tam sua, quam Augustini sententia deprompserit: & addit, *Quod si alicubi hallucinatus fuerim, hoc scio me non in Catholica veritate, sed in Augustini sententia asserendam cecidisse. Nec enim ego quid verum, aut falsum, quid tenendum aut non tenendum in Catholica Ecclesie doctrinâ tradidi, sed quid Augustinus asseruerit ac docuerit.* Et similiter Defensor damnatæ Pentados Vincentius Paleologus in opere, cui titulus gratia Triumphans: *Igitur nec vel ipse Jansenius, propriè ac verè loquendo, Jansenista esse potuit: quia non docet quid Jansenius sentiat, sed refert, quid Augustinus tradat. Stupidus, infidus, fraudulentus Historicus esse quivit, non erraticus aut Hæreticus dogmatistes.* Quamquam verò tam Vincentius, quam Jansenius ipse quoad mentem Augustini enormiter exorbitent, cum neuter eam in materiâ controversâ assecutus fuerit; sed potius sua placita & perperam ex Augustini flumine deducta consecutaria insecutus; Id equidem ex utriusque ultronea confessione evictum imus, Jansenium nempe gratiam Thomisticè

DE PROPOSITIONE II. 277

misticè sufficientem non minori nausèâ repudiâsse, quam ipse autumat pernegaturum fuisse Augustinum inficiaturumque hujusmodi gratiam ad Medicinam Christi pertinere.

De gratiâ illâ differentem audiamus: *Quod si verò sic accipiatur sicut à quibusdam dicitur, quod satis est, ut homo dicatur posse operari, quamvis aliud adhuc necessarium sit, ut de facto operetur; de hujusmodi sufficienti gratia non est hic nostra controversia. Talem enim sufficientem fortasse non difficulter S. Augustinus admitteret, quamvis esse VERAM ILLAM CHRISTI GRATIAM, de quâ questio est, PERNEGARET.*

Si Jansenius, ut ipse retur, cum Augustino sentiat, nec nisi Augustinum referat, igitur & ipse non certo, sed fortasse sufficientem Thomistico-sufficientem admitteret; Quomodo pro certo venditant Jansenii Vindices, ipsum admisisse gratiam, & cui resistitur, & quæ præfatò sensu sufficiens sit ad posse, audent affirmare?

Sed reagentem tela excipio: ergò fortasse Jansenius gratiam Thomistico-sufficientem admitteret, sicut Augustinus; consequenter, ut certus gratiæ illius inficiator damnari nequivit. Nam qui illam forte admitteret, etiam, cui resistitur, non negaret, saltem fortasse. Sed validis læcertis occurro machinis argutiuncularum istarum, & Respondeo: Jansenium admissurum, sicut Augustinum autumat præstiturum, gratiam istam sufficientem, at quâ efficacem, non quâ sufficientem. Nam quid Jansenium permovere potuisset, ut diceret Augustinum non difficulter consensurum in istam sufficientem, nisi quia contuebatur eam à Moliniana dissidere, ex illo capite, quod aliquò semper bonæ voluntatis effectu seu affectu frueretur? Et cur eandem gratiam

tiam de subsellio Medicinalium gratiarum deturbandam censêret à Doctore tanto Christianæ gratiæ, nisi quia ex fronte altera spectabatur ut nudata effectûs decore, ut puta, datura inane posse, ad cuius incrementum potentius adiutorium poscebatur?

Gemino nunc Cornu Jansenianos appeto: Primò, Augustinus, Auctore Jansenio, *fortasse* gratiam Thomisticè sufficientem, esto non omni orbetur effectû, admitteret, cum eatenus efficax sit, ergò Jansenius (cum sit Augustinus Europæus ut vocant) non certò & incunctanter, admitteret gratiam *sufficientem*, sed *fortasse*. Secundò Augustinus hanc gratiam admit- tens, equidem PERNEGARET ESSE VERAM ILLAM CHRISTI GRATIAM. Ergò & illam PER-NEGAT ipse Jansenius, qui fatetur se in nullo deviare abstramite illius profundissimi Doctoris. Non autem pernegaret Augustinus *fortasse* quatenus velle aliquod operatur; ergò dumtaxat quatenus sufficiens est, & posse aliquod largitur voluntati. Quid consequentius quam idem per omnia sensisse Jansenium, nimirum quod fatiatissimè inculcatum atque infartum est, non aliam Medicinalem Christi gratiam agnoscendam, *nisi potentissimam efficacissimamque*, hoc est, eam, quæ non solum posse, sed efficaciter posse, hoc est integrè velle operatur? Nisi quæ omni suò, ad quem potestatem tribuit, sine potitur? Quare namque Christi gratiam Augustinus per- negaret, quam ex una parte fortasse admitteret, nisi quia sufficientem fructu viduatam cerneret & non operantem velle & operari?

Proinde Jansenius hâc Augustini interpreta- tjone vel solâ seipsum suosque vindices jugula- vit, etsi alia non suppeterent arma, quibus ef- fectum, evictumque est, quod nullam gratiam  
nisi

DE PROPOSITIONE II. 279

nisi effectricem, & quâ talem quidem in statu naturæ lapsæ admittendam censuerit, ratus ad Adamæam nos reducturos hominis infirmi gratiam, quæ sano & integro sufficiens erat. Cum tamen planum pateret discrimen, Molinisticam inter & Thomisticam sufficientem.

S E C T I O V.

*Argumenta Pallady solvuntur de facto Iansenij quoad Propositionem secundam.*

ARGUMENTUM PRIMUM.

**N**Ec minus perspicuum est, numquam sensisse Jansenium, gratiæ interiori nullo resistentiæ genere resisti. Dissensus enim à gratiæ interiori unum est ex resistentiæ generibus. Atqui à gratiæ interiori quosdam dissentire disertis verbis Jansenius affirmat: „ Constat, inquit, multos divinitus mente collustrari. Iansen. l. 2.  
de Grat. Chr.  
Salv. c. 27. Imò verò & in ipsâ voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus intimâ suavitate & inclinatione dissentiunt. „ Quæ verba ab eo proprio sensu dicta nemo jam inficiabatur.

R E F U T A T I O I.

**E**Tiam propriò sensu Jansenius enuntiatum voluit: quod gratiæ repugnantem domet voluntatem, tollit omnem ejus resistentiæ. Quod vires efficacissimas præbeat, omnipotentissimam potestatem conferat. Quod omnes oppositos obices voluntatum & affectuum invictâ potestate perumpat, &c. Et hoc in illo capite, cui titulus: natura gratiæ Medicinalis &c. Et cum invictam, victricem, omnipotentissimam uberimè prædicet Christi gratiam, extra quam nullam agnoscit, nisi fortasse, & diminutè loquens, vincunt aper-



## 280 LIBER TERTIUS


tissima Jansenii effata, hanc resistantiam vel obiter à Jansenio prolatam, imò sic deductam ut seipsam perimat. Nam quam gratiæ nominæ censuit, postmodum ad legis infirmitatem atque inutilitatem ablegavit. Quod de divinis eloquiis confæderandis aiunt Patres, hoc de Jansenio diceremus, si tanta esset auctoritas. At cum homo fuerit, & se hominem ipse confessus sit, cupiens etiam errorem dedoceri; aggerem verborum ejus inficiantium omnem resistantiam gratiæ, huic uni Testimonio reponimus.

## REFUTATIO. II.

Jansenius affirmat interiori gratiæ quosdam dissentire, & dum illi dissentiunt Christi gratiam permanere, & qui dissentiunt effectum impedire gratiæ, ad quem potestas datur, Nego. Nam effectus illius gratiæ, ut ibidem loquitur, est velle imperfectum, quod non impeditur, per hoc quod à fortiori cupiditate vincatur. Affirmat dissentiendo fieri ut non habeat effectum, ad quem neque à Deo datur, neque sufficiens à Jansenio judicatur, concedo. Nam insufficientiam illam illic declarat Jansenius imperfectis voluntatis motibus inesse: *Non enim quævis gratia, inquit, ad quosvis effectus inferendos sufficit, ut quidam imaginati sunt, sed potestates operationum difficultati attemperanda sunt.* Unde de homine solâ velleitate boni operis donato asseverat: *Nondum didicit secundum gratiam ad ipsum quod faciendum jubetur. Cujus rei causam postea adfert: nempe quia quidquid nondum agit, id, nondum agendum didicit secundum gratiam, sed tantummodo secundum legem.*

L. 2. c. 27.  
pag. 210.

pag. 211.



AR-

DE PROPOSITIONE II. 281  
A R G U M E N T U M II.

**E**st etiam *resistentia* genus, *renisus*. At voluntatem concupiscentia depravatam gratia reniti multoties Jansenius admittit. lib. 3. de gratia Christi cap. 13. Ubi renisu concupiscentia fieri asserit, ut vires voluntatis distrahantur, atque ita homo non plenè velit, non integrè velit, non totà voluntate velit.

R E F U T A T I O.

**A**dmittit voluntatem depravatam gratia reniti, sic ut remoreur effectum quò gratia potiri queat, nego: cum ea, sed quæ triumphare non possit conflictando animæque vires dividendo, concedo. Quod autem Jansenius invalidæ huic gratia potestatem abjudicet, vel ex eo enitescit, quod ex illo renisu probet primam propositionem: *Iustus conantibus & volentibus aliqua præcepta esse impossibilia, deesse quoque gratiam, quæ possibilia sunt.* Si desit gratia, quæ præcepta possibilia sunt, igitur gratia, cui concupiscentia reluctatur, potestate nudatur ad obtinendum effectum obedientia, qui proinde pervicaciâ malæ voluntatis neutiquam impeditur: quia impossibili effectui repagulum non figitur. Porrò ubi effectus non indisjunctè sequitur gratiam, nullam esse Medicinalem Christi gratiam multoties Jansenius asserit: apud Augustinum, inquit, *gratia & opus bonum ita reciprocantur, ut quemadmodum ex gratia datâ effectum operis consecutum inferre solet, ita vice versa, ex defectu operis gratiam non esse datam.* Quò ratiocinandi modò indicatur gratiam tamquam causam, & operationem voluntatis velut effectum esse, ut Philosophi loquuntur, *convertibiles, & à se mutuo inseparabiles.* Et iterum nil

L. 2. c. 25.

## 282 LIBER TERTIUS

mirum ait, *Si Augustinus universim doceat Medicinalem Christi gratiam semper effectum suum inferre voluntati, cui eam Deus suâ benignitate largitur.*

## A R G U M E N T U M III.

**R**esistentia genus, est, cum animus à gratiâ excitatus in solis desideriis inefficacibus hæret; ad id toties contingere, quoties contingit ardentior rem esse cupiditatem, expressis verbis Jansenius affirmat; ergò, quod confectum volo, non omne resistendi gratiâ interiori genus sustulit Jansenius.

## R E F U T A T I O.

**N**on sustulit genus resistendi gratiâ Christi Medicinali potenti effectum obtinere, quem non obtinet, nego: nam sufficientem omnem gratiam quâ talem respuit, & si cum Augustino, quem adstipulatorem adsciscit, sentiat, eam Medicinalem esse Christi gratiam pernegat & pernegare debet Jansenius. Non sustulit resistendi genus ad causam hanc impertinens, transeat. Non potuit Jansenius, nisi subvertendo primam propositionem suam, admittere, quod resistendo gratiâ impediatur effectus, ad quem potestas datur. Alioquin omnibus justis conantibus & volentibus adesset gratia quâ præcepta Dei possibilea fiant; atque non magis quam ipsi Thomistæ potuisset asserere præceptorum impossibilitatem ob unius efficacis absentiam gratiâ ad effectum reipsâ inferendum desideratæ.

## A R G U M E N T U M IV.

**P**ræcipuus Jansenij scopus fuit Moliniana gratiâ systema penitus diruere. Proinde resistantiâ modos, quales admittunt Thomistæ quorsum negaret?

R. E.

## REFUTATIO.

**F**ecit tamen. Et si non faceret, primam suam famosam faustò eventu subrueret. Admissâ namquè Thomisticâ sufficienti cum suo resistendi modò, horrificam illam *impossibilitatem* demutasset, gratiamque, licet non Molinianam, possibilitatis seu dans *posse* neutiquam inficiatus fuisset.

Quod autem resistantiam Thomisticam negarit, claret ex dictis, eò quòd non nisi *omnipotentissimam gratiam* dignetur nomine *gratiæ Christianæ*. Præterea cum mentio incidisset de hac *sufficienti*, disertis verbis dixit, quod Augustinus eam esse *veram medicinalem Christi gratiam* pernegaret. Si Augustinus; ergò & Jansenius, qui non nisi Augustinum sapere, non nisi Augustinum loqui, Augustinum objicere visus est Jansenianis, & ipse Jansenius sibi. Qui ergò Thomisticam sufficientem à Systemate Christianæ gratiæ facit extorrem, Thomisticam pariter resistantiam ablegasse censètur.

## ARGUMENTUM V.

**J**ansenius majorem & magis propriè dictam resistantiam admittit quam Thomistæ, nam ex Thomistis, *gratia sufficiens ne diminutâ quidem cupiditate sit efficax, & sic numquam ullo effectu spoliari potest, quem aliquò casu aliquandò habeat. At verò gratia excitans ejusmodi est apud Jansenium, ut imminutâ cupiditate efficax fieri possit. Dum ergò ei renititur voluntas, illò eam privat effectu, quem certis casibus & conditionibus haberet.*

## REFUTATIO.

**V**oluntas, quæ excitanti gratiæ renititur apud Jansenium non privat eam effectu, ad quem obtinendum illa pollet. Nam de hominibus

nibus Justis ita excitatis divinâ gratiâ dicit, illis gratiam deesse, quâ præcepta possibilea fiunt; quô loquendi modô omnem propriè dictam ad agendum potestatem ab illâ excitante gratiâ submovit, ut vel ipse sapientissimus Arnaldus observatum reliquit. Et quanquam excitans gratia, submotâ cupiditate aut imminutâ, efficax fieret apud Janlenium; hâc tamen stante fortiterque renitente, sufficiens non est, potens non est; adeòque effectu suô privatur. Imò, ex eâ parte, quâ non efficit quod Jubetur, Christi gratia non est, &c.

## S E C T I O V I.

*Argumenta Confutatoris Epistolæ Leo-  
diensis Refutantur.*

## A R G U M E N T U M I.

**H**oc tantum agit Jansenius (l. 2. de grat. Chr. c. 25.) ut prober ex Augustino; gratiam Christi in omnibus quibus datur, infallibiliter operari, & nullam prorsus effectu carere, quia nulla prorsus est quæ non det saltem aliquod velle voluntari: si autem nec velle saltem tenuissimum det, tunc nec Christi gratiam esse, hominesque omni effectu in voluntate destitutos, solo Pelagianæ gratiæ adjutoriô, hoc est lege doctrinâque ad operationis præceptæ justitiam niti.

## R E F U T A T I O.

**J**ansenius eam gratiam, quæ tenuissimum velle tribuit non admittit esse Christi gratiam nisi respectu effectûs, à quo dividi nequit, scilicet, respectu initialis bonæ voluntatis, neutiquam verò comparatione habitâ ad effectum ad quem inclinât, & ad quem dat posse. Capite namque

DE PROPOSITIONE II. 285

namque 27. hominem bonâ voluntate, sed imperfectâ instructum asserit vice non simplici non didicisse secundum gratiam, sed secundum legem, quamdiu non implet quod iubetur. Qui scit Deum super omnia diligendum, inquit, spe ac fide colendum, & similia, & nondum ita diligit; sperat, & credit, ut lex iubet; nondum illa ipsa quidem didicit secundum gratiam sed tantummodo secundum legem. Quod autem agat de illo qui tenuissimum saltem velle gratiâ largiente accipit, liquet ex subnexis: *Quamvis interim aliud quidpiam, quod prævium esse solet, ut verbi gratia quod in Deo vel Charitate ac fide ipsius sibi quoquomodo placeat, illosque actus quâdam velleitate desideret, & similia secundum gratiam potuerit didicisse.*

Quis hic non perspiciat Jansenium asseverare quod gratia quatenus est efficax seu dat velleitatem bonique desiderium, esse Christi gratiam, & quatenus non implet quod desiderat, legi esse componendam? Nam ideò dicit hominem desiderantem credere sperare ac diligere nondum didicisse secundum gratiam, sed tantummodo secundum legem, quia nondum implet quod lege iubetur, seu quod convertitur, quia effectu operis destituitur.

Similiter ratiocinatur de illis, qui continentiam vehementer avent, & nondum reipsâ continent. *Sic enim videmus plurimos, ait, qui necdum ab immunditiis carnis se continere possunt, vehementer tamen optare continentiam: cujusmodi vota divinæ gratiæ sunt munera, & majoris gratiæ provocativa, quamvis nullo modo veræ perfectæque continentia comparanda sint.* Et tamen de his etiam affirmat quod non secundum gratiam didicerint. Itaque, pergit Jansenius, *optimè subjungit Augustinus: hoc modo (per gratiam) quisquis discit, agit omninò quidquid agendum didicerit.*

Nem-

Nempe quia quidquid *nondum agit, id nondum agendum didicit secundum gratiam, sed tantummodo secundum legem.*

Igitur continere desiderans & nondum continens didicit secundum gratiam quia desiderat, & didicit secundum *legem tantummodo* quia nondum agit quod desiderat. Quasi non plus viri nactus sit ad continendum ab excitante illâ gratiâ. Votumque continentiae impartiente continere peroptans, quam à lege continentiam præscribente atque imperante. Quod ergò de lege dixit Apostolus: *Virtus peccati lex*, de gratia ista pronuntiandum veniet: *Virtus peccati gratia*, quæ velle operatur continentiam, sed continentiam non operatur. O! ingrata & inimica nimis gratiæ Christi, quæ ex Janseniano fonte liquidissimè profuit consecutio! Itane est secundum legem discere accepisse gratiam, quâ possit continere, & per quam fit ut minus libeat, quod non licet? usque adeò Jansenio ista, quam alii Thomisticè potentem alii sufficientem appellant, gratia viluit, ut dicere non erubuerit quod Augustinus eam *veram Christi gratiam esse pernegaret*, nempe quia opere vacuum, & quia nondum operatur quod lex imperat.

Procul ergò confutator Jansenium à seipsò abducit, quasi tum Christi gratiam negaret, cum nullum, ne quidem tenuissimum tribueret effectum: quasi tum *in Pelagiana gratiæ adjutorio, hoc est lege doctrinâque ad operationis præcepta fustitiam* homo niteretur; quia satiatissimè probatum dedimus hujusmodi locutiones ab ipso Jansenio adaptari hominibus bonæ voluntatis initio diviniûs præventis, continentiam desiderantibus, &c.

## ARGUMENTUM II.

**S**I non aliud diceret Jansenius (c. 25.) quam, hæc sitaque est ratio & radix, cur nulla omnino medicinalis Christi gratia effectu suo careat, posses fortasse accusatio prætextu aliquò utcumque defendi: Verum dum addit: Sed omnis efficiat ut voluntas velit & aliquid operetur, manifestè ex ipso Jansenio revincitur. Hæc enim addendo significat, quò sensu nulla omnino Medicinalis Christi gratia effectu suo careat: non quod omnis omnem effectum suum operetur, sed quod operetur saltem aliquem effectum, sive efficiat ut voluntas velit & aliquid operetur.

## REFUTATIO. I.

**C**Ur ergò teste Jansenio, Augustinus gratiam Thomisticè sufficientem Veram Christi gratiam pernegaret? Nonne illa aliquò potitur effectu, & aliquò destituitur? Nonne dat bonam voluntatem imperfectam? Igitur nec Jansenius admisit gratiam esse Christi gratiam, nisi quâ efficacem, quâ effectui semper conjunctam.

## REFUTATIO. II.

**O**Mnis Christi gratia effectum obtinet suum ad quem datur juxta Jansenium. Vel enim datur ut homo velit tantum, & illa infallibiliter velle operatur. Vel datur ad fortiter velle & operari, & illa quoque hòc effectu semper fruitur. Et hoc consonat ejus encomiis ac notis, quibus Medicinalem Christi gratiam insignitam Voluit: Nempè, quòd sit *victrix*, quòd sit *invicta*, *potentissima*, imò *omnipotentissima*. Vincit enim voluntatem, dum ex nolente facit voluntatem, perrumpit omnes obices voluntatis, dum ad agendum datur. Nullam, quæ media sit, id est, quæ dat velle & posse, sed nondum agere, admisit Jansenius; imò quamdiu homo



desideriis ineffacibus hæret, & nondum agit quod jubetur, *secundum legem tantummodo didicisse testatur*, ex eò utique capite quod effectum careat, omnisque illa potestas quæ ad effectum donata dicitur, Jansenio usque adeò diminuta censetur, ut legis adjutoriò componatur. Id affirmatim exprimentur dictiones illæ: *Secundum legem tantummodo didicit*.

Neque objeceris, Augustinum ità loqui, quia hic contra Pelagium agit, qui gratiam in scientia legis constituebat, & neque ad velle, neque ad operari aliam gratiam admittebat necessariam. Unde supponit cum Pelagio hominem solà scientià legis instructum, & de illo pronuntiat: *Qui novit, quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem*. Quia nempe illa tantum novit, quid agere debeat, quod lex præstat. Jansenius verò præter legis notitiam, supponit adesse *bonæ voluntatis* gratiam, desideria *continentiæ*; adeòque Augustini verbis abutitur contra debitam laudem gratiæ comparans illam infirmæ legi.

#### ARGUMENTUM III.

**Q**uod verò Jansenius inter effectus gratiæ Christi, etiam recenseat velle quantumvis tenue ac imperfectum, adeòque & pios motus & inspirationes quibus vult, patet tum ex locis Augustini, quæ allegat, tum ex eo quod post allegata Augustini loca contra Pelagianos ita loquatur, : *Quemadmodum ex istà cum Pelagianis concertatione perspicuum est, illam solam gratiam prædicasse Augustinum, quæ dat simul effectum suum, ut homo velit aut faciat*.

Vides, quem effectum gratiæ semper conjunctum esse dicat Jansenius, nimirum ut homo **VELIT AUT FACIAT**; ergo p̄ motus & inspirationes, quibus homo vult, secundum Jansenium sunt effectus gratiæ.

R. E.

## REFUTATIO.

**S**I solam Augustinus prædicaverit gratiam, quæ donat <sup>at</sup> homo velit, aut faciat: ergò nullam admisit quæ præter velle dat posse effectum ponere, qui reipsâ non ponitur; ergò nec gratiam cui aliquandò resistatur. Neque enim resistitur ei quæ dat velle, neque illi quæ dat agere. Utrumque enim effectum ad quem datur semper obtinet, aut *velle* tantum, aut simul operari; & idèò potentissimam vocat Jansenius, quæ omnem resistantiam tollat seu quoad velle, seu agere, si ad agendum donata fuerit. Nam si tantum velle tribuat, ad agendum non censetur esse data, nec eò intuitu gratia Christi dicenda, sed magis Pelagiana, per quam homo non discit legem implere, nisi secundum legem, ut sæpius repetitum est.

## ARGUMENTUM IV.

**A**ptissimè ostendit aliquam esse Christi gratiam, quæ non habeat effectum ad quem excitat, sed tantum effectus illius desiderium producit. Considerandum est enim, inquit Jansenius ipso capite ab ipso ferè initio, multiplices esse divinæ gratiæ effectus, quemadmodum & voluntatis. Est enim velle perfectum, quod Augustinus POSSE appellat: Est & imperfectum, quod velleitatem appellare solent. Et hoc ipsum diversos gradus habet; donec ad ipsam primam tenuissimamque boni complacentiam veniatur.

En perspicuè, quò sensu dicat Jansenius, nullam esse Christi gratiam præter efficacem. Nimirum quia nulla est, quin saltem imperfectum aliquod velle operetur, & ut minimum ipsam primam tenuissimamque boni complacentiam.

T

RE.

**E**quidem verum manet & incussum, Jansenium non admisisse gratiam nisi efficacem ad omnem effectum ad quem donat potestatem. Quia vel donat ut imperfectè velit, & habet effectum suum: vel ut perfectè velit, & habet indijunctam ab opere potestatem. Quis nunc igitur effectus remanet per voluntatis depravatæ renisum sub-flaminandus? Non iste quem obtinet, non iste quem obtinere potest, & non obtinet; Quia iste ad gratiam Christi non pertinet, sed ad Pelagianæ systema gratiæ, hoc est legem legisque scientiam naturâ suâ infæcundam & otiosam. Perstat in hoc Jansenius, quod licet internæ suasionum intellectus, tum voluntatis (imperfectæ scilicet) aliquandò dissentiat, equidem firma maneat regula ista: Gratia Christi semper habet effectum ad quem datur, & si effectus non sequitur, ad illum gratia non donatur. Nam cum sibi objecisset hujusmodi dissentionem velut peremptoriam dictæ assertionis, subjungit & solvit objectionem: *nec vero moveat quemquam quod constet multos divinitus mente collustrari, imò verò & in ipsa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli; qui tamen ab ejus internâ suasione dissentiunt. Ut propterea falsum putet gratiam in eo cui datur semper operari effectum ob quem datur.* Non igitur dissensus ille impedit effectum gratiæ Medicinalis, gratiæ Christi: quia ista non nisi ad bonam voluntatem datur, cui dissentitur; non autem ad opus quod non sequitur juxta Jansenium: quia putat non enervari assertum suum de efficaci semper gratia, ex eo capite, quod quis ab ea dissentiat seu non plenè consentiat. Quare, nisi quia putat effectum suum semper potiri ob quem datur, & ad effectum gratiam non dari, qui gratiam non comitatur?

A R.

cap. 27.  
 pag. 210.

DE PROPOSITIONE II. 291

ARGUMENTUM V.

**R**Egerit ad Argumentum præfatum Confutator, & distinguit: *non est falsum Jansenio gratiam in eo cui datur semper operari effectum, ob quem datur, voluntate Dei absolutâ, concedo: ob quem datur voluntate Dei non absolutâ, Nego.*

REFUTATIO.

**J**ansenius non admittit aliam donantis Dei voluntatem quam absolutam, nec ullam Christi gratiam comparatam ad effectum quem reiptâ non consequitur; & ideò dicit Thomisticam sufficientem ab Augustino pernegatum iri. Proinde firma manet Jansenio persuasio, quod gratia quæ vacua effectu, gratia Christi non sit; Nec consequenter Christi gratiæ (cum semper sit efficax) umquam resistatur, sic ut effectu suo frustretur. Nam ex eò quòd frustratur, gratia non esse asseveratur.

ARGUMENTUM VI.

**J**ansenius dicit potuisse tamen eum didicisse secundum gratiam aliud quippiam quod prævium esse solet, v. g. quod in Deo vel Charitate ac fide ipsius sibi quoquò modò placeat, illosque actus quòdam vel- leitate desideret, & similia. Illis significat Jansenius hominem ejusmodi nondum habere gratiam Thomisticè efficacem, quâ diliger, speret & credat, ut lex jubet: his significat, eum habere gratiam Thomisticè inefficacem, quâ actus illos desiderat.

REFUTATIO.

**G**ratia ista quæ facit desiderare efficax est, sed inefficax respectu effectûs quem desiderat, respectu cujus sufficientem vocant. Jansenius autem pro eâ parte, quâ caret effectu, negat esse gratiam Christi. Nam de Thomisticâ illâ

sufficienti dicit quod *Augustinus* eam *Christi gratiam* pernegaret; non quatenus velleitatem operatur, sed quatenus desideratō effectu vacuatur. Et ideò dicit eum qui desiderat quod nondum agit, *secundum legem tantummodo didicisse*. Unde corrui confutatoris conclusio. „*Etsi gratia quae omni prorsus effectu caret, non sint gratia Christi juxta Jansenium; juxta eundem tamen & gratia Christi sunt, quae aliquò suò effectu careant; & gratia Christi sint sed inefficaces etiam erga effectum quò carent; cum juxta Jansenium ad eum inefficaciter desiderandum excitent*. Nam quò pacto Gratiam Thomistico sufficientem *Augustinus* Christi gratiam esse pernegaret, ut contendit *Jansenius*, si gratiam effectu suò destitutam Medicinali Christi gratiae accensèret? Si pernegaverit *Jansenii* *Augustinus*, igitur & ipse *Jansenius*, ut supra conclusum fuit. Neque patet effugio locus de gratiâ Molinistica, quasi hanc solam rejiciat, ubi objectioni huic (hæc omnia *Augustinum* de gratia tantum efficaci tradidisse) respondet: *Nihil verius dici posse . . . cujus causa est quod nullam agnovit aliam actualem Christi gratiam nec agnoscere potuerit*. Quod libro 3. cap. 1. ad Thomisticè sufficientem extendit.

L. 2. de Grat.  
Chr. c. 27.  
pag. 211.

L. 3. pag.  
253.

Neque minus id liquere facit sub finem capitis primi, quod ita concludit: *Quod si reliquas gratia Dei proprietates percurrere velimus; ut, quod homini donat voluntatem & opus, & meritum, quò efficacissimè potentissimèque agit homines, ceteraque quae superius recensuimus, & infra nonnihil adhuc delibaturi sumus, ex omnibus liquebit, non esse nivem calori dissimiliorem, quam sufficientem illam gratiam vera gratia quam *Augustinus* tradidit: ut alterutrum profecto necessarium sit, vel quod eam numquam post lapsum hominis agnoverit, vel quod eam à Medicinalis adjutorii limitibus, quod per crucem suam S. alvator dedit, excluserit.*

Dis-

DE PROPOSITONE II. 293

Disjuncta isthæc locutio magis ad gratiam Thomistico-sufficientem quam ad Molinianam pertinere censetur. Nam utrumque incunctanter de Moliniana Jansenius affirmat, nimirum & quod Augustinus eam in statu naturæ lapsæ numquam admiserit, alioquin eversum discrimen gratiæ utriusque status, & quod Medicinalis Christi gratia non sit, adeoque copulativè enuntiatio proferri debebat. Cum verò disjunctivè dicat vel non agnoverit, vel à Medicinalis adjutorij limitibus excluderet; De alia procul dubio sufficienti intelligendus est Jansenius & velut confirmans quod initio capituli de illa dixerat: *Talem sufficientem fortasse non difficulter S. Augustinus admitteret, quamvis veram illam Christi gratiam, de quâ quæstio est, pernegaret.*

SECTIO VII.

Cornelij Jansenii, in *Afferenda medicinali Christi Salvatoris Gratia,*  
*Contradictio varia proditur.*

CONTRADICTIONE PRIMA,  
*De Gratia Thomistico-sufficienti.*

**H**æc gratia, quamvis nullo modo sufficiat, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum super omnia diligat, ut speret, ut oret, ut credat; ad hoc tamen facit aliquid, ut istarum vel alterius cujusdam celestis rei liberas quasdam non voluntates, L. 2 de Grat. Chr. c. 27. sed velleitates vel complacentias excitet, quas, nisi divinitus infundantur, obtinere humanâ potestate Nemo potest. Rationem subdit: Non enim quævis gratia ad quosvis effectus inserendos sufficit, ut quidam imaginari sunt, sed potestates operationum difficultari attemperanda sunt. pag. 219.

T 3

Huic

## 294 LIBER TERTIUS

L. 3. c. 17

Huic asserto contradicit lib. 3. cap. 1. ubi de sufficienti illa ait: *Talem enim sufficientem gratiam fortasse non difficulter S. Aug. admitteret. Si sufficientem hanc Augustinus sine difficultate admitteret, cur in admittenda Jansenius difficultatem ciet? Si Augustinus fortasse sufficientem, quomodo Jansenius in suo Augustino sine cunctatione? si fortasse, quomodo sine conditione respuit, imò absolute, quia operis difficultati attemperatam non invenit, nullo modo sufficere asseverat? Non se extricabit his cassibus ipse Jansenius, ni consequenter errare pergat, dicatque Augustinum neutiquam admissurum sufficientem Thomisticam quã talem, utpote nullò modò, ut Jansenio perlibet, sufficientem.*

Ibid.  
pag. 251.

Neque de Moliniana sufficienti Jansenius id asserere potuit, cum de illa dicat: *Talem sufficientem gratiam Augustino repugnare, non est difficile advertere, si quis principiorum ejus meminerit, quibus tanquam cardinibus, tota ejus doctrina vertitur.*

## CONTRADICTIONE II.

## De Jansenij Gratiã Thomistico-sufficienti.

Ibid.

CUM sibi objecisset Jansenius effatum Doctoris Angelici, quod aliquam habeamus sufficientiam, quã bonum velle & credere incipiamus, respondet: *Sed hoc ad istam controversiam dirimendam (cum Molinianis) neutiquam sufficit. Postea verò talem sufficientiam ab Augustino traditam meminit, quã non modò Molinianam, quæ ab omni effectu dividitur, sed & Thomisticam aliquem effectum seu affectum tribuentem subruit: Gratia Christi ab Augustino predicata sufficientem*

DE PROPOSITIONE II. 295

ficientiam donat, non ab actu tamen disjunctam sed quem vitrici potestate largitur. Per illam enim homo verè sufficit? Tunc enim utile est posse cum volumus, inquit, S. Doctor: Nam vera Christi gratia est talis, ut quemadmodum Salvator mundi dicit: Omnis qui audit à Patre & didicit, venit *ibid.* ad me. Dum igitur facit gratia Christi, ut omnis qui audit & dicit veniat, profectò satis ostenditur & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus & actionis effectus. Talem igitur sufficientiam omnino agnoscit Augustinus.

Huic ex adverso obviat non modò Moliniana negata à Jansenio, sed & Thomistica, quam dixerat Augustinum fortasse non difficulter admissurum fuisse. Siquidem sicut Moliniana caret voluntatis affectu & actionis effectus; ita Thomistica saltem caret actionis effectus, cujus defectu, juxta Jansenium, Augustinianæ sufficientiæ nomen haud meretur: quia per illam non fit, ut omnis qui audit, & didicit, veniat. Neque per illam gratiam fit, ut sequatur actionis effectus. Quia tantum talem possibilitatem largitur, quæ ad effectum operis amplius adjutorium deposcit. Quomodò ergò Augustinus tam multifarios ad sufficientiam effectus requirens, ut Jansenius præterdit, sine difficultate, seu non difficulter admitteret gratiam sufficientem, cujus notio est, ut Jansenius exprimit, ut homo dicatur posse operari, quamvis aliud necessarium sit, ut de facto operetur? Itaque non modò Jansenius sibi contravenit, sed & Augustinum sibi contradicentem facit.





## CONTRADICTIONE III.

*Jansenius Gratiam solum largientem  
VELLE & operari adstruens, aliam-  
que dantem VELLE aut velleitatem  
admittens, seipsum destruens.*

**H**ÆC duo contradictionem implicare nemo  
ambigit: *sola, vel unica Christi Salvato-  
ris gratia est quæ dat velle & operari, prout con-  
distincta sunt; &, datur Christi gratia, quæ u-  
num eorum dumtaxat operatur, hoc est, velle  
& non operari.*

Primum verò variis locis assertum à Jansenio  
demonstratum imus.

Gratiam solum velle & operari inferentem  
pro gratia Christi ab Augustino prædicatam as-  
serit loco citato, *quæ sufficientiam donat ab actu  
indisjunctam, quæ talis est, ut fluat inde & pos-  
sibilitatis profectus, & voluntatis affectus, &  
actionis effectus.*

Gratiam eam solam esse Christi, quæ dat vel-  
le & operari, docet ubi asserit inter proprietates  
gratiæ recenserit: *Quod donat homini voluntatem,  
& opus, & meritum.*

Gratiam velle & operari donantem solam  
agnoscit gratiam Medicinalem Christi dum ait:  
**GRATIÆ MEDICINALIS CHRISTI PROPRIUM EST  
EFFICERE, ut aliam quamcumque gratiam, sive habi-  
tualem sive sufficientem utiliter habeamus. Quo-  
modo nisi habeatur semper noxia est, quia ad hoc  
conducit, ut damnabilius delinquamus. Causam  
addit: Nam quid prodest si quod non possumus, volu-  
mus, aut si quod possumus, nolumus?**

Tali

*L. 3. de Gr.  
Chr. c. 1.  
pag. 253.*

*cap. 2.  
pag. 257.*

DE PROPOSITIONE II. 297

Tali quoque notione Medicinalem Christi gratiam expressit, his verbis: Tali gratiâ non solum posse, sed etiam ipsum agere adjuvatur. *Dat L.3. c.15. enim non solum posse si velis, sed & velle quod potest. pag. 340.* Hoc posse numquam habetur nisi quando re ipsa quoque agitur, & est proprius effectus non fidei, aut Charitatis seu bonæ voluntatis habitualis, sed illius gratiæ actualis quam Christus attulit hominibus infirmis per crucem suam.

Solam quoque, quæ dat agere, ut Christi gratiam agnoscere visus est cum ait: Quidquid sufficientis gratiæ, vel à Neotericis, vel à Pelagianis vel Massiliensibus, præter istam agendi gratiam excogitatum est, hoc totum Augustino ad legem pertinet, nec extra limites Pelagianæ gratiæ constitui debet. *L.10. c.7. pag. 1035.*

Nempe, quia quidquid nondum agit, id nondum didicit secundum gratiam, sed secundum legem. Et cum Medicinalem gratiam infirmitati humanæ allatam dilineasset, quod agit & peragitur effectum suum, subjunxit: Omnis alia qualiscumque fuerit, ab ipso (Aug.) ad legem doctrinamque relegatur. *L.2. c.27. cap.32.*

Hanc solam, quæ velle & operari operatur, ut Christi gratiam proficetur aliò locò dicens: Propriè dicta Christi gratia, quam per passionem suam adversus infirmitatem voluntatis attulit, illa est, ut copiosissimè demonstravimus, quæ non operatur effectum suum si velimus, sed quæ operatur in nobis velle & operari: quæ facit, ut in justificationibus ejus ambulemus. *cap. 24. pag. 203.*

Hanc solam toto libro de dono perseverantiæ ab Augustino traditam asserit Jansenius: in toto libro, inquit, nullius alterius gratiæ vestigium reperire licet, quam quâ id re ipsa operatur ac donat quod homini præcipit. . . denique gratiam, non qua credimus si nos volumus, sed qua, ut alibi de vocatio-

## 298 LIBER TERTIUS

ne quæ sit per gratiam, dicit, id prorsus agitur & peragitur ut credamus. Postea declarat hanc naturam gratiæ his verbis: *Cum igitur talis sit natura gratiæ quam agrotanti generi humano Christi per mortem suam attulit.*

Hanc solam esse Christi gratiam quæ non modo effectum habet bonæ voluntatis sed etiam operis, sub initium hujus capituli probat ex affirmativo & negativo ratiocinandi modo S. Augustini; nititurque ostendere, gratiam tanquam causam & effectricem voluntatis bonam, velut effectum esse convertibiles, gratiamque, & opus bonum ita reciprocari, ut ex gratiâ datâ effectus consequatur, & vice versâ ex defectu operis, gratia non data inferatur. Affirmativus arguendi modus apud S. Doctorem frequens est. Sic enim loquitur de pugna contra tentationes:

pag. 202.

AGIS SI AGERIS, & bene ageris si à bono agaris. Quod ex Apostolo videtur didicisse, inquit Jansenius, qui ad Romanos dicit: *quicumque Spiritu Dei aguntur hi filii Dei sunt*, ut probaret hujusmodi re ipsa operari & facta carnis mortificare.

pag. 204.

Sic contrario negativè subindè ratiocinando docet; hoc ipso quo homo effectum destituitur, nullam ei gratiam collatam, sed solo pelagiana gratiæ adjutorio, hoc est lege doctrinâque ad operationis præcepta justitiam nititur. Nam in libro de gratia Christi, ubi ex professo cum Pelagianis de adjutorio Medicinalis gratiæ, hoc est gratiæ Christianæ adeoque veræ gratiæ quæ per crucem Christi humano generi revelata, atque donata est, ita definitivè loquitur: *Qui novit quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam sed secundum legem.*

cap. 270.

pag. 213.

Quamobrem, inquit Jansenius, quicumque animadvertit, omnia quæ de adjutorio gratiæ Medicinalis ex Augustino diximus, de gratiâ quâdam po-  
ten-

DE PROPOSITIONE H. 299

*rentissima, quam efficacem Recentiores suo sensu vo-  
cant, esse iutelligenda, consequenter hoc animad-  
vertere debent, non aliam Christi gratiam Medici-  
nalem in ejus scriptis reperiri.*

Igitur non alia nisi potentissima, quam effica-  
cem vocant & cum effectu; Proinde non aliam  
nisi velle & operari operantem agnoscit Janse-  
nius Medicinalem Christi gratiam. Hæc est  
illa gratia quæ tollit omnem voluntatis resisten-  
tiam. *Quæ summa efficacia est, quâ Deus facit, ut  
faciamus. . . Potentissimâ medicina suæ potestate.* cap. 24.

*Quod ita à Dei Spiritu per gratiam rapiatur, ut  
ipsamet voluntas vix agere intelligatur. Quam  
Augustinus non rarò victricem vocat, quia omnes  
oppositos obices voluntatum & affectuum invictâ po-  
testate perrumpit. . . Quæ operatur in nobis velle &  
operari. Ut voluntas velit & aliquid operetur.*

Contradicit his omnibus Jansenius assertio-  
nibus suis negationibusque, nisi gratiam Christi à  
Gratia Dei dividat, aut magis diminutè in uno  
loco quam in altero de Gratia Christi senti-  
at. Sed non est quod Antilogias ejus componere stu-  
deamus. Sat superque ad scopum hujus causæ  
proficit quod luculentissimè doceat damnatam  
olim ab Augustino, & postmodum à Sede  
Apostolica propositionem, quam non salvat  
sequens contradictio, è qua Jansenianorum op-  
positio prodit. Assolent ex obscurioribus hostes  
Ecclesiæ contra lucidiora S. Scripturæ ac SS. Pa-  
trum documenta arma procudere, ita & Janse-  
niani. Quamquam conciliandi opposita Jansenij  
documenta necessitas nulla suppetat, cum sui  
immemor sibi-met occurrere potuerit; equidem  
contradictio in præsens exhibita sat momenti ha-  
bebit, ut definant Jansenianum dogma ab omni  
hæresi vindicare. Est autem contradictio prima  
quod Jansenius primam bonam hominis volun-  
tatem

300 LIBER TERTIUS

tatem (nisi pro forti & effectus effectrice intel-  
lexeris) Gratia effectum constituit ita differens:  
Et de ipsa prima hominis voluntate bona in primo  
ad Simplicianum libro (August.) ubi & rationem  
tangit, cur non possit gratia effectum suum sine  
absurditate defitui: Illud autem nescio quomodo  
dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si  
enim Deus miseretur, jam volumus: ad eandem quip-  
pe Misericordiam pertinet ut velimus: Quod si  
jam volumus quando miseretur Deus, profecto gra-  
tia, quae est effectus Misericordiae, & voluntatis  
effectrix, non potest ab hominis, cuius miseretur  
Deus, voluntate seu volitione separari. Quamobrem  
diserte subjicit (Aug.) in eodem loco: "Nullius  
Deus frustra miseretur. Postea pergit in cursu ho-  
minis jam volentis, hoc est, operantis quod  
voluit. Et consequenter Jansenius qui velle &  
operari velut germanam Medicinalis gratiae  
Christi notionem expressit, hic velle ab operari  
dispescuit.

L. 2. de Gr.  
Christ. c. 25  
pag. 203.  
pag. 204.

Altera Contradictio est, quod qui conjuncti-  
ve dixerat nullam agnosci debere gratiam Chri-  
sti Medicinalem, nisi quae operatur velle & ope-  
rari, nunc disjunctive enuntiet (nisi erratum  
dicamus in disjunctiva Typographi oscitantia) ubi dicit: Illam solam gratiam praedicasse Augusti-  
num quae dat simul effectum suum; ut homo velit  
aut faciat. Contradicit haec assertio illi ipsi, qua  
dixerat in eodem capite. Nam ubi dixerat ex  
Augustino illam gratiam esse confitendam a Se-  
mi Pelagianis, quae Deus ipsam credendi voluntatem  
effectumque boni operis largiatur, subjungit: Nem-  
pe ipsa vera & sola Christi gratia est, quam sa-  
nanda natura peccatricis infirmitati attulit.  
Haec enim duo coire nequeunt: Christi gratia  
sola est quae voluntatem credendi effectumque  
boni operis largiatur; &, Christi gratia est, quae

pag. 206.

pag. eadem.

DE PROPOSITIONE II. 301

*voluntatem aut effectum boni operis largiatur.*  
 In alternativis enim sufficit unum adimpleri.  
 In exclusivis autem exclusum admitti nullum.  
 Si sola ergo est Christi gratia, quæ effectum  
 boni operis largitur; excluditur ista quæ effe-  
 ctum istum minimè largitur.

Nisi fortè hoc retractatum à se Jansenius vo-  
 luerit, dum conjunctivè asseruit quod *nulla Me-*  
*dicinalis Christi gratia effectum suo careat, sed om-*  
*nis efficiat, ut voluntas velit & aliquid ope-*  
*retur.* Quod si quis de imperfecto operis an-  
 nifu intellectum velit, videat qualiter *potentissi-*  
*mam, efficacissimamque* benè agendi potestatem,  
 quàm Jansenius Medicinalis Christi gratiæ pro-  
 prium nativumque fructum facit, demoliri ni-  
 tatur. Nempè potentissimam Gratiam de-  
 struit, ut imbecillem invalidamque, cui resista-  
 tur, tueatur: aut potius, ut invalidam gratiam  
 propugnet, expugnat validissimam omnis ope-  
 ris *evictricem effectricem*, quam unicam pa-  
 tientis Christi meritis nostris allatam languori-  
 bus, ceu Medelam Jansenius tam exertè disertè  
 que profitetur. Præstaret lucidè traditos erro-  
 res damnare, quam luci tenebras conciliare.

Tertia contradictio in hoc versatur quod gra-  
 tiam admittat, à *cujus internâ suasionem ac incli-*  
*nationem homines dissentiunt; & tamen tam fre-*  
*quenter intorqueat & inculcet, illam solam esse*  
 Christi gratiam quam octo depictam notis seu  
 proprietatibus exhibet, quas inter hæ sunt:  
*Quod sit summa efficacia in persuadendo efficiendo-*  
*que quod Deus homini persuasum, & in eo effectum*  
*cupit.* Quod habeat potestatem *efficacissimam.*  
 Quod probat *efficacissimâ vocatione Pauli Aposto-*  
 li, de quâ S. Augustinus libro de gratia & libro  
 arbitrio cap. 5. Quod *victrix, omnes oppositos*  
*obices voluntatum & affectuum invictâ potestate*  
 per-

cap. 25.

pag. 202.

cap. 27.

cap. 24.

per-

perumpat. Ità victrix, supra voluntatis arbitrium  
ut non raro dicat ( Aug. ) hominem operanti Deo  
per gratiam non posse resistere. &c.

## CAPUT II.

Secunda Ianseniana in quo à Sancto Au-  
gustino revicta monstratur.

## SECTIO PRIMA.

Gratiæ interiori aliquando resisti osten-  
ditur ex lapsu Apostoli Petri.

S. August.  
Epist. 120.

De Grat. &  
lib. arb.  
cap. 17.

Tract 92.  
in Ioan.

**P**etrus ex egregio presumptore tam creber nega-  
tor effectus, ut loquitur S. Augustinus, cum  
putavit se posse quod se velle sentiebat, procul-  
dubio Christi gratiam habuit, quia Charitate  
non caruit; Quamvis parva & imperfecta non de-  
erat, quando dicebat Domino: Animam meam pono  
pro te. Et quis istam etsi parvam dare ceperat Cha-  
ritatem, nisi ille qui preparat voluntatem & coope-  
rando perficit quod operando incipit? Quoniam ipse  
ut Velimus operatur incipiens, qui volentibus coo-  
peratur perficiens. Deseruit aliquantum Deus  
unde superbiebat; & unde superbiebat gratiæ  
resistebat. Plenam non habuit robustamque  
voluntatem, quandò ancilla interrogatione  
perterritus non potuit verum Testimonium perhi-  
bère. Secutus est passurum, sed tunc non potuit  
( plenè ) sequi passurus.

Neque eum omnis Christi grtia destituit, dum  
Christum negavit Nam si Christum non amasset non  
negasset invitus. Verum si amplius non amasset, non  
ali-